

† Adm. R. P. Bernardus Fernández (1877-1938)

(Prov. Hisp.)



Tribulationis laticem duos abhinc annos potat Hispanica Provincia: ruinis enim eius materialibus et oeconomicis omissis, undeviginti recensentur sodales ferro bolscevico perempti (9 Patres, 10 Fratres), quibus superaddas oportet Studentem unum in bello occisum atque octo alios Confratres in sola Provincia morte functos; hos inter eminent Adm. R. P. Bernardus Fernández, quondam in Missionem Sinensi Visitator seu Superior permanens.

In provinciae Legionensis (*León*) pago, cui nomen *San Esteban de Valdueza*, primum lumen

aspexit die 29 Octobris a. 1877, familia donatus modesta sed vere christiana, matre praesertim, quae curam rei domesticae cum assistentia ad Sacrum quotidie conciliabat. Novennis prima communione nutritur Bernardus, qui, rudimenta gymnasii publici dein edoctus, instituto locali in oppido Ponferrada adscribitur, quo « gradum » (ut dicebant) seu theoriam ibi pharmaciae assequeretur, quam domi practice quasi pharmacopolae adiutor exercebat. Haud tamen immemor conscientiae christianae, cum ab hero Hebdomada Sancta ad mensam carnes afferrentur, maluit adolescens impransus manere quam legem Ecclesiae perfringere.

Annos 17 natus in urbem Legionem, provinciae caput, se confert, ubi cursus in instituto superiore persequitur summa cum applicatione et optimo successu. Militiae iam aetate maturus ad castra vocatur, quo tempore bellum exarsit quod Hispaniae colonialis imperii reliquias penitus abstulit. In insula Cuba omnia novus miles novit incommoda, quibus caeli terraeque saeva temperies Europaeos extenuabat, necnon acerbiores quas iniquus belli exitus Hispano exercitui reservarat humiliationes.

Strenuus miles, qui primum gradum (*cabo*) militiae ascenderat, corporis viribus graviter fractis, octo menses in nosocomio decubuit ac demum mense Octobri a. 1898 ad suos in Hispaniam adeo aegrotus restituitur, ut prius cogitare debuerit de animae salute per confessionem generalem in tuto reponenda quam de valetudine amissa recuperanda.

Convaluit tamen, atque eodem tempore gratia Dei ad statum perfectionis sensim trahi coepit. Studia quidem repetiit apud fratrem suum sacerdotem non longe ab urbe Legionis hospes, at non multo post a Iesuitis in novitiatum (*Carrión de los Condes*) admittebatur, inde tamen transactis novem diebus sanitatis defectu discessurus. Alia alibi in cassum temptavit; inter alumnos dein Seminarii Legionensis cooptatur, hinc in Asturicense migrat, ubi denique tandem philosophiam cum laude didicit, simul vero, ex frequenti cum nostris Patribus in eodem Seminario confessariis conversatione, ac multa prece fusa ad S. Ioseph et S. Antonium, viam suam comperit et Congregationi adscribi petiit.

A mense Septembri a. 1902 usus est novitiorum Magistro R. P. Chavatte (*Analecta* XI [1932], 182-189), qui de novo candidato sic iudicavit: « Bernardus iuvenis est valde serius, vocationis suae perquam amantissimus ». Re quidem vera, vestem religiosam induens festo S. Theresiae, tirocinium egit oratione et paenitentia solidum. En specimen: septem in die recitabat Rosarii coronas in memoriam septem dolorum Beatae Mariae Virginis.

Votis die 15 Octobris emissis, in Asturicam contendit ibique ab anno 1903 ad 1908 moratur, quo sacerdotio ornatur die 14 mensis Martii. Inter studia se praebuit pietatis exemplar et observantiae, ad philosophicas disciplinas libentius incumbens indole sua ac voluntate quam ad musarum et artis commercium.

Studiorum exacto curriculo, paucos menses curam novitiorum gerit Socius Magistri; a primordiis vero a. 1909 iuvenatui destinatur, inde nequaquam dimovendus usque ad a. 1921. Varie tamen hoc duodecennium occupavit: prius namque in schola infimae latinitatis impendit tres annos cum dimidio, patientia insignes, abnegatione plenos, vitae obscurae lumine claros. Ad directionem dein totius collegii Spinensis a. 1912 evehitur, hinc a. 1915 in Concham (*S. Pablo*) transfertur Rectoris simul et Directoris titulo auctus, tandem denuo Spino a. 1918 restituitur munere tantum Directoris functurus.

Ad Directoris munus exsequendum Adm. R. P. Bernardus non eminebat quidem agendi vivacitate, facundiae venustate aut nova aggrediendi merito, at potius animi rectitudine supranaturali, imperturbabili sui ipsius dominio, prudentia summa et discretione. Pueri autem, qui intuitione melius quam ratiocinio, a quibus vere amentur, dignoscunt indubie, sub externo gravitatis cortice austero cor Directoris vere maternum divinabant, tunc praesertim exhibitum, cum morbo premebantur aut animi angoribus aut angustiis oeconomicis magnum bellum comitantibus et subsequentibus. Nihil itaque mirum si nos ipsi, eo tempore undecennes, a. 1915 cum lacrimis copiosis vale Patri Bernardo diximus in collegium Conchense abeunti.

Novum istud onus erat valde grave, quod de exordiis agebatur communitatis et collegii. Ad haec, novella debebat fovere vocationum germina, iuvenistas scilicet, ex viridario Spinensi solitario et silvestri transplantatos in Conchense fere urbanum collegium, studiorum regimen et vitae rationem conditionibus minus aptis novi aedificii accommodare, vigilem sollertiam adhibere in accipiendis alumnis ex regione Hispaniae meridionali et orientali minus catholica oriundis.

Spinum iterum accitus, tenerrima praestitit auxilia Patribus et alumnis peste seu « influenza » correptis, quae post magnum bellum per diversas Europae regiones grassabatur. Hoc etiam triennio obstacula novit et conflictus, quibus postea Capitulum generale a. 1921 voluit finem imponere, iurisdictioni Rectoris ea substrahendo quae ad iuvenistas eorumque regimen spectant. Bene igitur meruisse de iuventute Provinciae Hispanicae Pater Bernardus dicendus erat, cum a. 1921 collegii Spinensis remisit habenas, cui non solum pietatis et recti gubernii donarat exempla, verum laboris etiam scientifici fructus, praesertim scholas sibi reservando arithmeticae, algebrae, geometriae et quandoque linguae Gallicae et Latinae. Si qua vero minus perfecta in Directoris munere obeundo ei obiecta sunt, errare humanum esse meminimus aliaque collegii Directorem suis collaboratoribus ignoscere debuisse.

Tum vero inter Studentes annos tres commoratur tanquam domus Minister vere generosus, ad missiones quandoque exiens, ministerio in ec-

clesia addictus, Studentibus ad confessiones semper accessu facilis. Studia quoque seria, speciatim philosophica menti suae semper iucunda, renovavit nec in posterum remisit: nam Rector cum esset designatus domus Navae Regis in triennium 1924-27, e bibliotheca Spinensi mutuatas accepit « Disputationes Metaphysicas » eximii doctoris Suárez, iisque ac similibus lucubrationibus non solum tunc pascebatur, sed usque ad ultimos etiam vitae dies, quibus scribendi machina ipse octoginta paginas opplevit, responsa sua ferentes quaestionibus « De Ente, De Uno et Unitate, De Essentia et Existentia, De Motu... », dein: « Utrum Deum esse sit per se notum, De Concursu Divino, De Scientia Dei... »: et sic porro.

Has quidem speculationes colebat ratus specialem sibi ad studia metaphysica inditam fuisse vocationem. Nihilo vero minus immediatas sui officii obligationes rite adimplevit. Quare Rector Navae Regis rei domesticae administrationi, puta horto olitorio colendo, sedulo invigilabat, instantius vero laboribus apostolicis domi aut foris obeundis. Exercitiorum spiritualium cursus dum tradebat in ecclesia nostra, domos singulas etiam pauperulorum et sub imbre lustrabat, universos ad Dei servitium invitando.

Ab anno 1927 domui Columnae (*Coruña*) novissime conditae praeficitur. Tunc a Superiore Provinciali magis arduum ei munus offertur, gubernandi nempe Missionem Sinensem viamque illac ad foundationes stabiles comonstrandi. Valetudo haud fortis, aetatis pondus, Sinensis atque Anglicae linguae discendae difficultas nullo pacto Patrem Bernardum deterruerunt quominus pronuntiaret: « His obstaculis rite perpensis, si meum iter Congregationi proficuum Superiores iudicaverint, praesto sum ». Per Romam iter longinquum faciens, d. 7 Dec. 1929 interfuit illi Audientiae Pontificiae, de qua Rñus P. Generalis in sua Circulari diei 6 Ian. 1930 (*Anal. IX, 8*) narrat.

Itaque P. Bernardus usque ad primos menses a. 1935 praefuit Missioni Sinensi, sui que muneris esse duxit conditiones regni Sinensis explorare, opera incepta solidare, iuvenatus initia fovere, Superiores Provinciae certiores potissimum reddere de conditionibus frugiferi apostolatus Alfonsiani in Sinis gerendi. Dum itaque Superiorum Maiorum decisionem expectat, active sese accingit apostolatu exercitando inter christianos in loco Siping et in magna urbe Canton, confratres visitat et consolatur, regiones Sinenses circumit corde in Deo defixus, labiis prece perfusus, tota agendi ratione — non aliter ac in itineribus suis Ven. P. Passerat — mortificationem Christi portendente.

Nec ei defuerunt spinae. Iis omissis, quae ex ipsa Missionis Sinensis fluunt natura, alia supervenere dissidia orta ex hominum subiective sumpta forsitan optima fide, at obiective nequaquam Superiori iucunda. Valetudo quoque Patris Bernardi laboribus, mortificatione, cibo Sinensi comminui

videbatur. Verno itaque tempore a. 1935 in Hispaniam rediit, non forte in ore hominum triumphum agens, at certe in oculis Dei.

Verum enimvero Matrity nos ipsi testes fuimus eius, qua se gerebat, perfectionis non communis. Confratri ab eo quaerenti, cur ex Sina rediisset: « Ad me non pertinet (respondit) causas quaerere, sed ad nutum Superiorum subesse ». Et nedum verbulum caritatem spirans proferret, naviter pro Missione illa longinqua adlaborare non destitit consiliis, eleemosynas colligendo, expositionem instituendo missionalem in eaque aliquot notabiles conferentias habendo. Interea « thesaurus » ecclesiae dici poterat, vel a minimo pendens signo Superioris, Praefecti ecclesiae et Sacristae, sive ad Missam hora tardiore, sive ad confessiones molestiores, sive ad aegrotos, sive ad verbi ministerium; iam vero nemo nostrum ignorat hanc operosam in minimis quotidianis indifferentiam evadere potissimum sanctitatis argumentum.

Dominio sui continuo et spiritu interiore culmen attigisse videbatur, unde quasi a longe hominum passiones, rerum vicissitudines et temporum mutationes contemplantur. Quare ne luctuosissimae quidem hodiernae perturbationes eius animum quatere potuerunt. Mense Martio a. 1936 Vizellam Lusitaniae missus est, ut Studentibus nostris asylum disponeret. Paulo post nominationibus generalibus Columnae collegio praeponitur, ubi mense Iulio, comunistae cum tres dies urbis potiti essent, domum nostram cum continente sacello publico flammis dirutam luxit, seque et alios confratres ad mortem vidit quaesitos. *Dominus dedit, Dominus abstulit*, exclamavit; *sit nomen Domini benedictum*. Et civitate sub ducis Franco ditionem restituta, P. Bernardus Deo fretus operi sese accinxit provisoriam domum aperiendi et priorem ex favillis resuscitandi.

Illius autem restaurationem completam non nisi e caelo cernere ei datum est. Modum quidem levem suis mortificationibus ex obedientia adhibuerat; at eius valetudo, sanguine diabete vitiato et pauperato, corruit celeriter. Octo diebus ante Domini Natale a. 1937 lecto quasi configitur, gravissima septicemia percussus: per unum mensem exemplar ibidem fit mortificationis, obedientiae, orationis et patientiae, donec, omnibus Ecclesiae sacramentis munitus, ad Dominum placide evolavit die 22 Ianuarii a. 1938. Ad hunc in aeternitatem transitum sese exercitiis spiritualibus annuis disposuerat Novembri superiore factis: et re vera, quo perfectionis igneo desiderio animam novitius accenderat, eodem nunc sub vitae vesperum flagrabat. « A Domino (scribit in his exercitiis) humiliationes, contemptus et privationes deposcam »: quae quidem verba, notis praesertim vitae suae adiunctis quibusdam et eius indole seria et tenaci, minime erant vacua proposita. Mortuus est die sabbati et statim (ut speramus) in caelum a Beata Virgine suscipi meruit. Huic caelesti Matri in ultima quam de more Provinciae Hispanicae, privatim a. 1937 in festum Imma-

culatae Conceptionis scripsit consecratione, sic post affectus sese obligarat: « Quotidie tres Rosarii partes recitabo atque coronas Septem Dolorum et Mariae Immaculatae, ieiunio ac disciplina et Psalmis S. Bonaventurae sabbatum distinguam necnon cilicio ad horam usque duodecimam, vinoque ac fructibus ad mensam abstinebo ». Hinc moribundus sub cervicali servabat P. Bernardus libellum Alfonsianum cum orationibus pro unoquoque hebdomadis die, ac Rosarium fortiter tenebat, quod nunquam, etiam cum in urbe curru *tramway* vehebatur, e manibus demittebat. Profunda eius in Eucharistiam devotio inde elucet quod, cum Superiorum et confessarii consensu, semihoram quandoque somni nocturni adorationi coram SSmo Sacramento impendebat.

Religiosae omnes familiae et e clero saeculari non pauci aderant funeri sollemni necnon copiosa fidelium turba uno ore confitens: « Religiosus erat Pater Bernardus totus Deo deditus; externus etiam eius aspectus aliquid spirabat pietate et Dei unctione plenum ». Affulgeat itaque eius precibus et intercessione dies serenitatis et pacis super Hispaniae regno et super Hispanica Congregationis Provincia!